

fricola manifeste: quo casti non appellat, tanquam manifestus contumax. Joan. And.

Nota quod appellari potest ante definitivam, quod est verum indistincte de jure Canonico: dum tamen appellatur ex causa rationabili, cap. ut de appell. sed de jure Civili non appellatur, nisi in certis casibus. Zabarella.

UT LITE PENDENTE NIL INNOVETUR.

TITULUS V.

I. CLEMENS V. in Concilio Vienenfi. [an. 1311. in Gallia.]

Si duo litigantes super Beneficio, moriantur, sive uterque in curia, vel solus possidens, vel neutro possidente alter tantum, altero alibi moriente: ad Papam & in conversis casibus ad Ordinarium spectat collatio, si ad alterum Beneficium pertinebat. Si autem alter tantum moritur, si superstes, vel alius, cujus interest, litem prosequatur, ex futuro eventu apparebit, ad quem collatio spectat. Joan. And.

Si duobus in Romana curia, super Beneficio sibi collato litigantibus, in eadem curia mori contingat utrumque, collationem hujusmodi Beneficii, ad Romanum Pontificem; si vero extra dictam curiam, ad Ordinarium decernimus pertinere: nisi forsitan alius ab eis in dicto Beneficio jus haberet. Quod si unum in dicta curia, alterum vero extra mori contingat; si moriens in curia Beneficium possidebat, ad Romanum Pontificem: si vero alius, ad Ordinarium pertineat collatio supradicta. Neutro autem ipsorum Beneficium possidente, erit Romanus Pontifex, propter auctoritatis prerogativam, in collatione hujusmodi preferendus. Si vero alter tantummodo sive possessor, sive petitor decedat, si superstes, vel alius, cujus interest, causam nihilominus prosequatur (cum interim Beneficium de jure conferri non possit) ad quem collatio ejus pertineat, futurus declarabit eventus. Nam si ad defunctum pervenisse Beneficium fuerit declaratum; pertinebit ad Papam, si ille in curia; vel ad Ordinarium, si extra curiam sit defunctus. Quod si ad neutrum illud spectasse contigerit, ad Ordinarium collatio pertinebit. Salva tamen in premissis omnibus Rom. Pont. potestate, ad quem Ecclesiarum, Personatum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum plena & libera dispositio, ex sua potestate plenitudine noscitur pertinere.

II. IDEM.

Lis dicitur pendere, quoad hoc, ut nihil debeat innovari cum citatio legitime pervenit ad partem, vel per eam stetit, quominus perveniret, cum tali expressione, quod potuit instrui super quo conveniatur. Joan. And.

Cum lite pendente, nihil debeat innovari, litem quoad hoc pendere censemus, postquam a iudice competenti in ea citatio emanavit, & ad partem citatam pervenit; vel per eam factum fuit, quominus ad eam notitiam perveniret. Dum tamen in citatione predicta talia sint expressa, per que plenè possit instrui, super quibus in iudicio convenitur.

DE SEQUESTRATIONE POSSESSIONUM ET FRUCTUUM.

TITULUS VI.

I. IDEM.

Si super Beneficio contra ipsius possessorem, qui triennio non possedit in petitorio vel possessorio una definitiva fertur in curia, etiamsi nulla fore dicatur, ipsius Beneficii sequestratio per loci Ordinarium fieri debet, quam impediens, vel sequestratos fructus occupans, excommunicatus est: & si est de litigantibus, cadit à jure suo, & respicit pendencia. Joan. And.

Vide c. Commissa. de elect. in 17. not. Bart. & modern. in l. Celsus. ff. de vj. cap. Pont.

Ad compeccandas litigantium malitias, definimus, ut una contra possessorem definitivam sententiam super Beneficio apud Sedem Apostolicam, duntaxat in petitorio vel possessorio promulgata, Beneficium ipsum, etiam si Dignitas, vel Personatus existat, & curam habeat animarum, à possessore hujusmodi (dum tamen triennio pacificè antea ab eo possessum non fuerit) per loci Ordinarium, apud aliquam personam idoneam sequestratur, que plenam de ipso & debitam curam gerens, id quod de fructibus ipsius, (debitis ejusdem supportatis oneribus) superesse contigerit: illi restituit, qui finalem in causa victoriam obtinebit. Si quis autem sequestrationem hujusmodi impedire, vel fructus sequestratos quovomodo præsumpserit occupare, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto; à qua (nisi impedimento prius amoto, & occupatis per eum fructibus restituitis) nullatenus absolvatur. Et nihilominus, si de litigantibus fuerit, à jure quod sibi in hujusmodi Beneficio, vel ad ipsum forsitan com-

petebat eidem) hoc ipso se noverit cecidisse. Premissis necum circa futura, sed etiam circa per appellationem pendencia negotia observandis. Non obstante h contra præfatam sententiam, de nullitate forsitan opponatur.

DE PROBATIONIBUS.

TITULUS VII.

I. CLEMENS V. in Concilio Vienenfi. [an. 1311. in Gallia.]

Verba Literarum Apostolicarum, quibus Papa proprium factum narrat, plenè probant, si super illis gratia vel intentio Papæ fundatur. Joan. And.

LITERIS nostris, quibus nos Dignitates quaslibet seu Beneficia collationis nostræ, vel Sedis Apostolicæ reservasse, aut resignationem Beneficii alicujus recepisse, vel recipiendi potestatem alicui commisisse, vel aliquem excommunicasse, seu suspendisse, seu aliquem Capellanum nostrum vel familiarem fuisse, vel alia similia, super quibus gratia, vel intentio nostra fundatur, fecisse narramus, censemus super sic narratis fidem plenariam adhibendam; volentes ad præterita & pendencia, etiam per appellationem, negotia hoc extendi.

PITH. Literis nostris, &c. Hæc Clementina correctæ est Pragmatica Sanctione, & Concordatis.

DE TESTIBUS.

TITULUS VIII.

I. CLEMENS V. in Concilio Vienenfi. [an. 1311. in Gallia.]

Per testes Christianos convinci possunt Judæi & Saraceni, non obstantibus contrariis privilegiis Regum & Principum: quibus si utantur, subtrahatur illis Christianorum commercium. Joan. And.

CUM Judæi quidam & Saraceni, sicut accepimus, quod super civilibus aut criminalibus convinci per Christianos non possint, sed privilegia Regum & Principum tueantur (quia id necum juri contrarium, sed & Christianæ Religionis opprobrium est quamplurimum & adversum) Reges eisdem & Principes in Domino exhortamur, ne concedant hujusmodi de cetero privilegia, vel servent, aut servare permittant, etiam jam concessa. Quod si Judæi aut Saraceni privilegia talibus uti præsumperint, Christianorum communio eis subtrahatur, sic, quod Christiani ab eorum abstinere communionem censurâ Ecclesiasticâ, si opus fuerit, compellantur.

II. IDEM.

Publicatis attestacionibus testes produci non possunt (etiam in causa appellationis) super eisdem articulis, vel directè contrariis. Joan. And.

Testibus ritè receptis, & eorum attestacionibus publicatis, sicut non licet super eisdem vel directè contrariis articulis alios vel eisdem testes in principali causa producere, sic non debet in appellationis causa licere. Cum non minus in appellationibus, quam in principali causa subornatio sit timenda.

DE JURE JURANDO.

TITULUS IX.

I. CLEMENS V. in Concilio Vienenfi. [an. 1311. in Gallia.]

Juramenta, que Romanæ Ecclesiæ præstant Romani Principes, fidelitatis existunt. Joan. And.

ROMANI Principes orthodoxæ Fidei professores, n. al. Imperatores. Sacrosanctam Romæ Ecclesiam, cujus caput est Christus Redemptor noster, ac Romanum Pontificem ejusdem Redemptoris Vicarium, fervore fidei & clara devotionis promptitudine venerantes, eidem Romano Pontifici, à quo approbationem personarum, ad imperialis celsitudinis apicem assumendæ, necnon unionem, consecrationem, & imperii coronam accipiunt, sua submittere capita, non reputarunt indignum, seque illi, & eidem Ecclesiæ, que à Græcicæ Imperium transiit in Germanos, & à qua ad certos eorum Principes jus & potestas eligendi Regem in Imperatorem postmodum promovendum pervenit, adstringere vinculo juramenti, prout tam mos observationis antiquæ, temporibus novissimis renovatæ, quam forma juramenti hujusmodi sacris infera Canonibus manifestant. Dadum sanè inter quondam Henricum Imperatorem, tunc Romanorum Regem, & Charissimum in Christo filium nostrum Robertum Siciliæ Regem, gravi discordia fuscitata: Nos multis grandibusque periculis, que exinde proventura verisimiliter timebantur, intendentes

celeri & opportuno remedio obviare, quibusdam ex fratribus nostris sanc. Rom. Eccles. Card. existentibus, tunc in urbe pro reformanda pace, & solidanda concordia inter Reges eisdem literas nostras, sub certa forma duximus destinandas, inter alia inferentes in eis, quod cum ipsi Reges ejusdem Ecclesiæ specialissimi filii, sibi juramento fidelitatis, & aliis multipliciter essent adstricti: ipsius Ecclesiæ debeant esse promptissimi defensores. Dicitis autem literis in noticiam dicti Henrici ad Imperium jam promoti sic deductis, idem Henricus ab eisdem Cardinalibus requisitus, ut super contentis in illis suum propositum responderet: quasi moleste tulisset, quod de juramento fidelitatis hujusmodi, per eum præstito in dictis literis mentio haberetur, non familiariter nec secretè, ut tractandæ pacis qualitas exigebat, sed multis tabellionibus acceritis & requisitis ab eo, quod de responcionibus suis conficerent publica instrumenta, inter cetera publicè, præsentem multitudinem hominum copiosa, respondit, se non fore cuiquam ad juramentum fidelitatis adstrictum, & quod nunquam fecerit juramentum, propter quod foret ad juramentum fidelitatis alicui obligatus, & quod ipse nesciebat quod antecessores sui Romani Imperatores unquam juramentum hujusmodi præstitissent: simulans se immemoratum juramentum, ac nihilominus petendi à nobis per nostras sibi manus impendi unionem, consecrationem, & Romani Imperii Diademata. Præfatis itaque nunciis in nostra & fratrum nostrorum præsentia constitutis, ac secundum dicti tenorem mandati Avinionis, ubi tunc eramus cum nostra curia residentibus in publico consistorio, in quo erat Prælatorum, & aliorum, tam Clericorum, quam Laicorum non modica multitudo, premissis per eos coram nobis expostitis supplicando petitis humiliter, & oblati: Nos eodem mandato & Decreto electionis ejusdem H. ex parte Principum tam Ecclesiasticorum, quam secularium, qui eundem elegerant, nobis per dictos nuncios præfatis, plena cum eisdem fratribus deliberatione discussis, factaque nobis de electione hujusmodi concordî & legitima plena fide, examinata quodque personâ ipsius H. prout absentia patebatur ejusdem, & de ipsius fide, probitate, & aliis, que in persona Imperatoris sunt merito requirenda, cum pluribus Præfatis, & aliis magnæ auctoritatis viris, qui ejusdem H. mores, conditionem, & statum plenius noverant, inquisito, ejusque personâ, cujus etiam nos & fratres nostri aliquatenus notitiam prius habebamus, propter quod facilis transivimus in examinatione hujusmodi idoneâ reputatâ, ipsum nominavimus, denunciavimus, & declaravimus Regem Romanorum, ipsius approbantes personam, eumque iusticiæ & habiliem declarantes, ad suscipiendam Imperialis celsitudinis dignitatem, ac decernentes unionem, consecrationem, imperitque Romani coronam, sibi per manus nostras debere concedi. Et subsequenter à præfatis nuntiis, sufficiens ad hoc ab eo, ut præmitteret, mandatum habentibus, secundum formam in decretis, que incipit, Tibi Domino, comprehensam, fidelitatis, recepimus juramentum. Postque idem H. consecrationis & coronationis suæ tempore aliud eisdem Cardinalibus, quos ad impendendum, sibi hujusmodi consecrationis & coronationis insignia miseramus ad urbem, illud nostro nomine recipientibus juramentum præstitit corporale, quod in libro Pontificali Romano præstantum Pontifici per Imperatorem coronationis suæ tempore continetur, cujus tenor dinoscitur esse talis: Ego H. Romanorum Rex annuo Domino futuro Imperator, promitto, spondeo & polliceor, atque jura coram Deo, & beato Petro, me de cetero protectorem, procuratorem & defensorem fore summi Pontificis, & hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus necessitatibus, & utilitatibus suis, custodiendo & conservando possessiones, honores, & jura ejus, quantum divino suffultus adjutorio fuero, secundum scire & posse meum recta & pura fide; sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Ceterum, quin juramenta hujusmodi fidelitatis existant, à retro Romanis Principibus, non fuit hactenus habitatum: imò tam quondam Albertus Rex Romanorum immediatus prædecessor memorati Henrici Bonifacio Papæ VIII. prædecessori nostro tempore approbationis ejusdem Alberti, quam Rodolphus Pater ipsius, & alii prædecess. ejusdem Romanorum Reges diversis nostris Prædecessoribus juramentum fidelitatis & obedientiæ præstituerunt. Idemque Bonifac. memoratum A. juramento hujusmodi ab eo recepto, de fratum suorum consilio (præsentem Prælatorum, & aliorum multitudine copiosa) auctoritate Apostolica

Vide Bar. in l. sciendum. ff. de verbo. obli. g.

Vide c. ad Apostolicæ. de re judic. lib. 6. 1. g. 1. c. esto. te & 46. dist. nobilitissimus. Font.

Qui debent Judæos punire, vide l. si quis in hoc genus. C. de Episc. & Cler. & Glo. in ca. Judæi. 2. de Jud. Font.

Vide l. 1. §. Ayunt. de Edict. ff. de Edict. & l. Apud eum. §. Imperator. ff. de manumiss.

recepti in specialem suum filium & Ecclesiæ memoratæ, ipsi in Regem Romanorum assumpti, in Imperatorem postmodum promovendum. Verum, quia sæpefatus H. qui in proximis diebus suis, de hac luce substractus, non virtutem & mentem, sed nudum verborum insectans corticem, sensumque confundens, juramenta restringendo prædicta, curiosè videbatur asserere, ut præfatur, illa ad debitum fidelitatis hujusmodi non extendi: novo modo curiositatis hujus luculentæ veritatis antidotum ipsius declarationis oraculo providimus apponendum. Quia ergo capitulis juramento fidelitatis contentis sollicita meditatione pensatis, ipsa capitula in præfatis Imperatoris juramentis, quantum ad effectum, mentem, & virtutem ipsorum, non est dubium contineri. Nos premissis & aliis rationibus, ne quis in Romanum assumptus Principem, vel in posterum assumendus, an juramenta hujusmodi per dictum H. Imperatorem præfata, & per successores ipsius in futurum præstanta fidelitatis existant, in dubitationem deducere audeat, vel super his contrarium asserere veritati: auctoritate Apostolica de fratrum nostrorum consilio declaramus illa juramenta prædicta fidelitatis existere, & ceteri debere. Porro præter juramenta prædicta, idem Henricus suorum in hærens prædecessorum vestigiis, priusquam ingrederetur Italiam, vel ibidem jura aliqua exerceat, sub testimonio suarum patrum literarum in manibus dilecti filii Joannis de Mollanis Scholastici Ecclesiæ Tolemsis Capellani nostri ad hoc specialiter per nos missi, talis & præfate Ecclesiæ nomine recipientis promissit, & tactis sacrosanctis Evangeliiis juramento firmavit, quod eandem Ecclesiam & fidem Catholicam pura fide totique viribus conservaret reverenter, & etiam defenderet, omnemque hæresim, schisma, & hæreticos quoslibet, fautores, receptatores, & defensores ipsorum exterminaret pro posse: ac nunquam cum Saraceno, Pagano, Schismatico, seu alio quolibet communionem Catholicæ fidei non habente, aut cum aliquo alio præfate Ecclesiæ inimico, vel rebelli, seu eidem manifestè suspecto unionem quamlibet seu parentelam aut confederationem intraret: sed tam nostram, quam successorum nostrorum personas, honorem & statum manuteneret, defenderet, & conservaret contra omnes homines cujuscunque essent præsentientie, dignitatis vel status. Eidem etiam adiacens juramento, quod manuteneret semper atque servaret privilegia omnia per prædecessores suos Reges ac Imperatores Romanos, præfate Romanæ, & aliis quibuslibet Ecclesiis quocunque concessa tempore, & continentie cujuscunque: ipsaque omnia & specialiter ac præcipue per claræ memoriæ Constantinum, Karolum, Henricum, Othonem IV. Frederic. II. atque Rodolphum, prædecessores ipsius super consecratione, recognitione, advocacione, annotatione, quittance, & libera dimissione terrarum & Provinciarum Romanæ Ecclesiæ ubilibet positarum, quarum etiam multas nominatim expressit, Sedi Apostolicæ Romanæque Pontificibus super quocunque tenore concessa recognovit, confirmavit, & ex certa scientia innovavit, ac etiam de novo concessit: & terras ipsas atque Provincias recognovit ad jus & proprietatem ipsius Ecclesiæ plenissime pertinere: easque nihilominus ex abundantia de novo Ecclesiæ sæpefate donavit, sub predicto se obligans juramento, quod ipsas, aliquatenus ipsarum partem nullo unquam tempore occuparet, seu, quantum in eo esset, ab alio permitteret occupari. Nec eis, aut aliqua parte ipsarum jura aliqua, possessiones, aut tenuras haberet, seu quomodolibet possideret, nec in eis, etiam potestatis seu cujusvis capitaneæ, aut jurisdictionis quancunque per se, vel per alium exerceret, quodque (ut Princeps Catholicus & sæpe dictæ Ecclesiæ advocatus atque defensor) ipsam juvaret, & consiliis, & auxiliis illi adfiteret opportunis, contra quoscunque inobedientes & rebelles eidem: & præcipue contra occupantes seu turbantes terras prædictas seu provincias vel partem quamlibet earundem. Sub eodem etiam juramento promissit, quod tam ipsam Romanam Ecclesiam, quam alias Ecclesias, libertatem Ecclesiasticam, bona, jura, Prælatos, & Ministros Ecclesiarum ipsarum manuteneret, conservaret, atque defenderet pro posse. Et quod Ecclesiæ Romanæ vasallos contra justitiam nullatenus offensurus, devotos ac fideles Ecclesiæ etiam in imperio constitutos benigne tractaret; nec eos opprimeret contra justitiam aut, quantum in eo esset, per alium opprimi sustineret: sed in suis potius iuribus & justitiis conservaret. Hoc quoque juramentum & etiam primum pro eo nobis per suos nuncios, ut præmittitur, præstitum receptis suæ coronationis insignis innovavit, prout in patentibus ante coronationem ipsam ejus regio magno sigillo & aliis post coronationem eandem ejus Imperiali aurea bulla munitis, inde contextis literis (quas in archivis Rom. Eccles. reponi, & diligenter observari fecimus) plenius continetur.

Dicta, prædicta, descripta in antiquioribus codicibus.

al. Melani.

Ad hæc vide l. non dubito. ff. de capt. & innoc. c. 1. de schif. Doc. in ca. quod super his. de eo. Font. Dicitur etiam, descripta in antiquioribus codicibus.

al. sub.

PITH. Romani Principes Orthodoxæ fidei Professores, &c. Vide Albert. Abbat. Studens. in Chron. pag. 151. Alberic. de Rolat. in l. bene à Zenone, C. de Quadragesim. annor. præscript. Epistol. Urbani IV. ad Roman. Regem apud Zuricham. lib. 2. pag. 131. Eneas Silvium qui Papa Pius II. in Hist. de Frideric. III. Imperat. Bello Austriaco.

Continetur. l. Can. Tibi Domino, distinct. 63.